



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvatio I. De Generatione substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIONES

I N

DVOS LIBROS ARISTOTELIS

DE ORTV ET INTERITY.

ROSTQVAM in octo libris Physicorum egit Aristoteles de corpore completo in communi, descendit ad eius species, & primum disputavit de corpore incorruptibili, siue de Caelo, de quo & nos supra differuimus; deinde in his duobus libris tractavit de corpore generabili & corruptibili per dispositiones contrarias, de quo sequentibus Disputationibus agendum. Et licet praeipuum obiectum horum librorum sit generatio substantialis, quia tamen huius notitiam ex accidentalibus acquirimus, de utrisque à nobis differendum erit.

DISPUTATIO PRIMA.

De Generatione substantiali.

GENERATIO late sumpta significat idem quod productio rei ex aliquo subiecto: quo opponitur creationi, quæ est productio entis ex nihilo. Generatio in hac acceptione est genus ad accidentalem & substantialem. Illa est, quæ producitur forma accidentaliter ex subiecto; hæc, quæ producitur substantialiter. Vtrumque autem dari in rerum naturâ, probatum est Disput. 11. Physicæ, Sect. 1. & Disput. 111. Sect. 1. Illam verò esse modaliter distinctam ab agente, termino, & passio, ostensum est ibidem Disput. v. 111. à num. 10. Nunc ex professo essentiam huius generationis explanabimus.

SECTIO I.

Quid sit Generatio in communi.

COMMUNIS definitio Generationis sumpta ex Aristotele hic cap. 4. textu 23. ea est: *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente ut subiecto eodem.* Hæc definitio rigorose sumpta non conuenit omni generationi, quia non omnis est conuersio totius in totum, nullo sensibili remanente: ostendi enim Disput. v. Physicæ Sect. 2. multa remanere accidentia in composito, v. g. in cadauere, quæ erant in corrupto homine aut equo. Deinde non est de essentia generationis, esse mutationem: nam si ab æterno fuisset productus equus, non fuisset vlla mutatio; item in initio mundi non præcessit materia cum carentia formæ, ideoque non fuit vera mu-

tatio, & tamen interuenerunt rigorosæ generationes, ergo generatio non necessariò est mutatio. Præterea, quando ex essentia in primo instanti productionis pululant passionēs, verè datur generatio illarum, & tamen essentia non mutatur, quia in eodem instanti, in quo existunt, habent illas passionēs; ergo non mutantur, mutatio enim requirit, præcessisse subiectum cum carentia formæ productæ.

Melius ergo definitur, *Generatio in communi est productio entis ex subiecto.* Illud productio entis loco generis ponitur, conuenit enim omni productioni, etiam creaturæ. Tò ex subiecto ponitur loco differentia, in eo enim differt generatio à creatione, quod hæc sit productio rei independentè à subiecto, illa verò dependentè. Significat autem *ex subiecto*, ad generationem debere concurrere non solum causam efficientem, sed etiam materialem; vnde terminus generationis solum est forma, vel accidentaliter, vel modaliter, vel substantialiter; reliqua sunt termini creationis.

Aduerte Primò, omnem generationem vel esse vel importare, naturaliter loquendo, productionem alicuius compositi: quia cum causalitas materialis, quæ idem est cum generatione, exigit naturaliter vnionem sui cum termino producto, iuxta dicta in Physicis, cum de causâ materiali egimus, per vnionem autem necessariò constituitur compositum, fit vt omnis generatio, naturaliter loquendo, vt minimùm inferat, id est habeat annexam, productionem alicuius compositi. Dixi *vt minimùm*, quia si sit generatio vnionis, erit formaliter productio compositi; hoc enim non aliter producitur, quàm per productionem

vnionis. Idem dicendum est de generatione cuiuscumque modi, qui vnitur seipso cum subiecto, eam scilicet esse formalem compositi resultantis ex eo modo & ex subiecto productionem. Dixi etiam, *naturaliter loquendo*, quia de potentia absoluta potest esse generatio sine vnione, & consequenter sine eo quod refulet compositum, iuxta dicta supra.

- 4 Aduerte Secundò, omnem productionem compositi etiam naturaliter loquendo includere generationem, vel ipsius formæ, vt in omnibus generationibus formarum materialium; vel talem vnionis inter formam & materiam, vt in generatione hominis, per quam non educitur anima rationalis ex subiecto, sed sola vnio. Dixi etiam hic *naturaliter*, quia, vt ostendi Disput. iv. Physic. potest de potentia absoluta vnio creari; tunc autem non esset in productione illius compositi vlla generatio, sed creatio; vnde absolute & simpliciter illud compositum dicendum esset creatum, non generatum.

Rogabis, vtrum, casu quo vnio compositi crearetur, forma verò generaretur, compositum illud dicendum esset generatum, an creatum. Quæstio est de nomine, & parui momenti, in qua ex vna parte videtur dicendum; illud compositum esse creatum. Sicut enim dicitur compositum productum de nouo vel destructum, ex solâ productione vel destructione vnionis, quæ est ratio formalis compositi; & homo dicitur generatus (etiam si materia & forma non generetur, sed creetur) à solâ vnionis generatione: ita è contrario dicendum videtur compositum creatum, ex creatione vnionis. ergo casu quo vnio crearetur, licet generaretur forma, compositum absolute dicendum esset creatum. Ex alterâ verò parte dici potest, vocem *creatum* significare id quod non pendet à subiecto, esseque vocem negatiuam, quæ absolute totum negat; vnde, vt vna res dicatur absolute creata, requiri, eam ex nullâ sui parte pendere à subiecto: at vocem *generatum* esse affirmatiuam, id est, significantem dependentiam à subiecto, quod absolute potest affirmari, siue ex vnione, siue ex vna solâ parte illius totius proveniat, ideoque vt compositum dicatur creatum, non solum requiri vnionem creari, sed etiam omnes compositi partes. Fateor hanc esse bonam rationem, & videri eâ probari intentum; sed, vt dixi, quæstio est de modo loquendi, & parui momenti: & vt alibi dixi, potest etiam tunc compositum dici *creatum* ratione vnionis.

- 6 Aduerte Tertio, generationem, prout determinatam ad formam realem, condistinctam à modalis, non esse formaliter mutationem, etiam si præcesserit subiectum cum carentia illius formæ. Ratio est, quia formaliter mutatur subiectum per vnionem cum formâ iuxta dicta supra, dum egimus de motu; ergo productio formæ formaliter non est mutatio, hoc enim soli productioni vnionis, quæ distinguitur ab omni formâ reali, conuenit.

Aduerte Quartò, duplicem esse terminum generationis, quia & duplex est generatio: alius terminus est forma respectu propriæ generationis, alius est vnio quæ est terminus productus per generationem vnionis; tunc enim forma est terminus communicatus, communicatur enim subiecto per productionem vnionis.

SECTIO II.

Quid sit conuersio.

SUPPONENDUM est, non quamcumque generationem esse conuersionem: nam ad conuersionem requiritur mutatio, ostendimus autem, non omnem generationem esse mutationem. Deinde, non omnis mutatio est propriè conuersio; ad mutationem enim sufficit, præcessisse subiectum sine formâ de nouo acquisitâ; ad conuersionem verò vterius requiritur præcessisse subiectum cum aliâ formâ positiuâ, cuius loco noua introducatur. Ideoque quando aer fit lucidus, datur propriè mutatio, non tamen conuersio, quia lux non succedit loco alius formæ positiuæ prius in aëre existentis. Conuersio ergo debet esse inter duos terminos positiuos, alium *a quo*, seu qui desinit esse; alium *ad quem*, qui de nouo incipiat, ideoque communiter definitur: *Conuersio est transitus vnus rei in aliam*. Omnis itaque conuersio duas includit mutationes, aliam negatiuam, quatenus subiectum amittit formam quam antea habebat; aliam positiuam, quatenus acquirit nouam.

Secundò ponendum, ad conuersionem vterius requiri, vt inter cessationem formæ præcedentis, & productionem nouæ, aliqua intercedat connexio: alioqui si se habeant disparatè, non erunt conuersio. Pone v.g. Petrum in instanti A cognouisse Paulum, & in instanti B, relicta eâ cognitione, amare Antonium; non datur tunc propria conuersio, licet sit ibi duplex mutatio, alia negatiua, positiua alia. Ratio est, quia cognitio de Paulo non dicit vllam repugnantiam cum amore Antonij, ideoque carentia illius cognitionis non habet connexionem cum amore Petri, neque è contrario. Quando autem loco frigens introducit calor, tunc datur vera conuersio, eò quod non possit frigus expelli, nisi ingreditur calor; neque hic ingredi, nisi expellatur illud. Ex hac connexionem interitur, ad conuersionem requiri aliquid commune manens cum formâ de nouo acquisitâ, quod quæ fuerit prius cum amissa. Vnde etiam fit vterius, vt concretum illud, quod constituebatur ex termino conuersio, & ex tertio quod manet destructum, & è contrario nouum aliquid concretum producat ex termino succedente, & ex tertio communi permanente. Hi duo termini vocantur totales *a quo & ad quem*. Vt enim lignum conuertatur in ignem, necessum est cessare vnio formæ ligni cum materiâ, & iam amplius non sit lignum; & è contrario etiam debet produci de nouo minimum vnio formæ ignis cum materiâ, vt de nouo sit ignis.

Supponendum Tertio, conuersionem esse multiplicem iuxta multipliciter compositorum inter quæ datur. Alia est *accidentalis* quando totum accidentale in aliud accidentale mutatur, vt calidum in frigidum, & è contrario: alia *modalis*, quando subiectum relicto vno modo alium acquirit, vt v.g. relicta vna vocatione acquirit aliam, in sententiâ eos constituentem modos: alia *substantialis*, quando compositum substantiale in aliud mutatur, vt v.g. quando homo conuertitur in cadauer, lignum in ignem, ignis in cineres, &c. Hæc conuersio substantialis, licet & accidentalis, potest

potest esse triplex: vel *materialis*, vel *formalis*, vel *totalis*. *Materialis* est, quando perseverante eadem forma, mutatur subiectum; vt v. g. quando homo nutritur & acquirit nouam partem materie, amissa alia parte precedenti, sub eadem tamen anima seu forma rationali. *Formalis* est, quando manente eodem subiecto forma mutatur, vt quando in eodem subiecto calor succedit frigori, vel è contrario. *Totalis*, quando tota substantia, materia scilicet, forma & vnio in aliam totalem substantiam mutatur, vt in Eucharistia contingit; & hæc dicitur *Transsubstantiatio*. Hæc differentia conuersionis reperiuntur etiam in accidentali conuersione: materialis enim esset, quando sub eodem accidente saltem miraculose subiecta mutarentur; formalis, quando sub eodem subiecto mutatur forma accidentalis; totalis, quando forma accidentalis & subiectum in aliud subiectum & formam accidentalem mutarentur, vt v. g. quando lignum mutatur in ignem, pereunt etiam cum forma ligni aliqua accidentia, respectu quorum ea forma erat subiectum, & succedit forma ignis cum aliis accidentibus quæ in se recipit.

Hæc quæ diximus, sunt certa; quæ sequuntur, dubia. Primum, vtrum ad rationem conuersionis requiratur, vnum terminum pugnare cum alio ex natura rei, an verò sufficiat si repugnantia ex solâ Dei voluntate proneniat, v. g. si Deus decreuisset, numquam in homine producere simul auditionem & visionem, sed vnam ex illis; an, quando ad destructionem vnus produceret alteram, posset tunc dici homo ex audiente conuersus in videntem. Hæc est quæstio de nomine, de re enim certum est, diuersum modum definendi esse hunc ab eo qui fundatur in ipsâ rerum naturâ, quando ex calido fit frigidum.

11 Vtrum autem uterque dicendus sit conuersio, quæstio est de voce. Negant nonnulli, quia ad conuersionem requiritur, vt ex vi actionis productiua vnus formaliter vel causaliter definat alterum; in prædicto autem casu non definiret auditio ex vi actionis productiua visionis, sed ex voluntate Dei non volentis, eos duos actus simul conseruare. Hæc ratio non virget, Primò, quia pro libitu videtur requiri ea connexio naturalis, quam aduersarij negant. Secundò, quia saltem moraliter productio vnus est causa expulsiõis alterius: quantumvis enim Deus voluisset vnicum actum conseruare, adhuc non destrueret præcedentem, nisi alium produceret de nouo; ergo iam ex vi actionis productiua infertur destructio præcedentis; erit ergo illa actio conuersio.

12 In hac re vix potest aliquid certi dici: cum enim de facto numquam dentur eiusmodi destinationes, imò potius sint valde diuersæ ab his quæ ordinariè contingunt, non est vnde possimus inferre, vtrum dicenda sint conuersiones an non. Probabilius est, eas non dicendas conuersiones, quia nomen hoc *conuersio* solum significat eas quæ de facto dantur, quæ valde differunt ab his de quibus loquimur. Nec licet extendere nomina, nisi quando est similitudo inter res significatas per illa; hæc autem similitudo non videtur esse in præsentia, ergo.

Secundò dubitari potest, vtrum requiratur ad conuersionem aliquis terminus positius, com-

munis & termino producto & termino antè existentem, ita vt in ordine ad illum terminum communem sit repugnantia inter productum & corruptum. Ex dictis num. 8. videbatur res hæc de cisa: ostendi enim, vt detur conuersio, debere dari aliquid quod propriè dicatur conuersum, & consequenter quod fuerit antè, & perseveret modò. Deinde, quia non potest esse repugnantia propriè inter duos terminos, nisi in ordine ad aliquod tertium. Est tamen contra hoc aliqua difficultas: nam duo corpora quanta repugnant inter se in ordine ad idem spatium imaginarium, cum tamen hoc nihil sit reale, ergo poterit dari repugnantia inter duo extrema, sine ordine ad aliquod tertium. Respondeo, hanc repugnantiam 13 inter duo corpora in ordine ad locum, non esse sufficientem ad conuersionem, iuxta communem modum loquendi: neque enim homo dicitur conuerti in equum, etsi equus succedat in locum vbi erat homo, illum expellendo. Ratio est, quia debet aliquid hominis manere sub equo, vt ratione illius homo dicatur conuersus: at, licet spatium imaginarium esset quid reale, quia tamen non est aliquid proprium hominis, non potest propterea homo dici conuersus in equum, eo quod equus succedat in spatium imaginarium hominis; requiritur ergo, vt detur aliquod tertium reale manens sub termino nouo, quod fuerat proprium antiqui, qui dicitur conuersus.

SECTION III.

An conuersio requirat destinationem termini à quo, & productionem terminum ad quem.

Pro quo aduerte, duplicem esse terminum à quo, & terminum ad quem: alium *formalem*, totalem alium. Formalis est ipsa res producta & destructa, v. g. quando producit ignis corrupto ligno, forma ignis est terminus formalis productus, & forma ligni est terminus formalis corruptus. Terminus autem totalis productus est ignis, corruptus lignum. Item in Eucharistia terminus formalis est Corpus Christi, & substantia panis, hæc à quo, illud ad quem; totalis autem terminus est totum concretum ex substantia panis & accidentibus, & ex corpore Christi & accidentibus. Non ergo quarimus, vtrum totus terminus totalis à quo debeat destrui, & produci totus terminus totalis ad quem; accidentia enim panis, quæ pertinent ad terminum totalem à quo & ad quem, non corrumpuntur, nec incipiunt esse ob rationem supra datam, quia scilicet debet manere aliquid tertium commune vtrique termino, quod non potest esse, si totus terminus totalis corrumpatur, & eius loco alius totalis omnino nouus producat. Est ergo difficultas, vtrum terminus formalis ad quem debeat produci, & terminus formalis à quo destrui; an verò sufficiat vnum poni loco alius sub eodem tertio, quantumvis terminus à quo maneat in rerum naturâ, & terminus ad quem non producat.

Dixi supra, quæstionem hanc esse de nomine, 15 ex illâ tamen in Theologiâ inferuntur opiniones de re: nam qui dicunt, conuersionem esse mutationem vnus in aliud cum destructione termini

à quo, & productione termini *ad quem*, asserunt consequenter, Corpus Christi verè produci per secundam actionem sub speciebus panis: qui verò dicunt, eam conversionem solum significare positionem termini *ad quem* loco termini *à quo*, docent, Corpus Christi non produci in Eucharistia, sed introduci tantum loco accidentium. A primâ sententiâ stat P. Suarez Tomo 3. in 3. Part. disput. 50. præsertim sect. 4. cum omnibus Thomistis, quos etiam sequitur Hurtadus Disput. 1. de Generatione à §. 19. Köning, & omnes ferè recentiores. Secundam & oppositam sententiam defendit P. Vasquez Tomo 3. in 3. Partem, disputat. 185. Scotus in 4. distinct. 11. quæst. 3. art. 2. quibus nonnulli recentiores adherent, qui in præfenti conantur variis modis suam persuadere sententiam.

SUBSECTIO PRIMA.

Vera sententia proponitur.

16 IN hac quæstione dico Primò, requiri destructionem termini formalis *à quo*. Hæc est communis utrique adversarj parti. Probat ex communi modo loquendi: neque enim anima rationalis dicitur conversa in cadavericam formam, licet hæc succedat loco illius in eadem materiâ; cuius non potest esse alia ratio, nisi quia anima rationalis absolute non corrumpitur. Homo quidem dicitur conversus in cadaver, quia destruitur; anima verò, quia non destruitur, non dicitur conversa in formam cadaveris.

Secundò dico, requiri etiam productionem termini formalis *ad quem*. Hæc (ut vidimus) est incomparabiliter communior quàm contraria, est etiam expressa D. Thomæ Part. 3. quæst. 2. art. 1. ubi docet, idèd in Deum nullam rem posse converti, quia Deus est ingenerabilis & improductibilis. Requirit ergo D. Thomas, terminum *ad quem* formalem conversionis produci, alioquin impertinentem dedisset rationem. Probat Primò ratione, quia in quæstione de nomine, qualis est hæc, standum est communiore acceptioni: certum autem est, communiùs hoc doceri quàm contrarium, ita ut & ipsi adversarij teneantur dicere, vulgò nostram sententiam esse satis plausibilem; ergo hæc est significatio huius nominis *conversio*. Quis enim dicat, vox *Deus* v. g. communiter & vulgariter hoc significat, sed tamen verè id non significat? quâdoquidem significatio ex acceptione vulgi debeat desumi. Probat Secundò, quia in omnibus conversionibus naturalibus, pro quibus hoc nomen *conversio* primò impositum est, hæc conditio reperitur, ut adversarij fateantur; ergo illa significatur per hoc nomen.

18 Tertiò, ut terminus totalis in alium totalem convertatur, requiritur destructio totalis *à quo*, & productio totalis *ad quem* præcisè, quia ille dicitur conversus, & iste dicitur succedens; ergo similiter, si ipse terminus formalis dicatur conversus in terminum formalem, requiritur destructio illius, & productio huius: quia ut lignum v. g. dicatur conversum in ignem, requiritur productio ignis, & destructio ligni; ergo ut forma ligni dicatur conversa in formam ignis, requiritur destructio ligni, & productio formæ ignis. Patet

consequentia, quia, sicut se habet lignum ad ignem, ita forma ligni ad formam ignis, iuxta axioma commune, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

Quartò ad hominem, quia adversarij fatentur, requiri destructionem termini *à quo*: unde infero, Ergo requiritur productio termini *ad quem*. Patet, quia contrariorum eadem est ratio. Quòd si, ut aliquid convertatur, non sufficit illud definire esse sub aliquo tertio, sed requiritur definire esse simpliciter; ita nec sufficit, ut aliquid convertatur, illud aliquid incipere esse ibi, sed requiritur incipere esse simpliciter.

Huic argumento conantur adversarij respondere, sed frustra. Primum enim dicunt, differentiationem consistere in eo, quòd terminus *à quo* dicatur conversus, ac proinde definens, terminus autem *ad quem* dicitur succedens, ad quod non requiritur ut incipiat simpliciter, sed solum in ratione termini conversi. In hac solutione petitur principium. Pro quo adverte, sicut ipsi vocant terminum *ad quem* succedentem, ita etiam ego terminum *à quo* seu conversum, voco cedentem; cedens enim & succedens sunt correlativa. Si ergo, ut succedat, non debet de novo produci, sed sufficit quòd de novo exerceat munus præcedentis; ita etiam, ut dicatur cedens seu conversus, non requiritur ut definat simpliciter, sed ut cedat in munere & officio. Si autem contrarium doces, da mihi ullam disparitatem probabilem, & non respondeas per tuam conclusionem. Confirmo, sicut cedens & conversus sunt idem, ita succedens & incipiens sunt idem: ergo, sicut ut dicatur cedens seu conversus, requiritur ut simpliciter definat esse, & non sufficiat cessare à munere quod exercebat; ita similiter, ut succedat seu incipiat, requiritur non solum incipere in munere, sed etiam simpliciter in sua substantiâ.

Respondent Secundò, non requiri ad conversionem, ut terminus *ad quem* incipiat simpliciter, quia Christus, in quem panis convertitur, non incipit esse de novo, licet producat secundò; & tamen requiritur, ut terminus *à quo* non solum quoad aliquam actionem substantialem definat esse, sed ut simpliciter non maneat in rerum naturâ: ergo maior definitio requiritur in termino *à quo*, quàm productio in termino *ad quem*. Corruit ergo argumentum nostrum innixum huic principio, quòd sicut definitio requiritur in termino *à quo*, ita productio in termino *ad quem*.

Hanc solutionem facillè impugno, Primò, assignando manifestam disparitatem quoad hoc vitium, quia ego solum contendo, terminum *ad quem* debere produci, sicut terminus *à quo* destruitur; est autem differentia hæc inter produci & destrui, quòd *destrui* sit terminus negativus; unde ut verificetur, non sufficit ut cesset aliqua actio substantialis circa terminum, sed omnino requiritur, ut nullo prorsus modo maneat in rerum naturâ, aliàs non poterit dici destrui: produci autem (quia est terminus positivus) ut absolute prædicetur de subiecto, non requirit ut sit prima productio, sufficit enim secunda; per quancumque enim absolute terminus denominatur productus. quæ differentia, etiam si de nomine, debuisset in quæstione de nomine, circa quam versamur, ponderari. Secundò respondeo, posse

posse etiam dici, ad rationem conuersionis sufficere, si in termino *à quo* cesset aliqua actio substantialis quā conseruabatur, licet maneat altera, ratione cuius res illa absolutē existat in rerum naturā.

Sed vrgebis contra hanc secundam solutionem: Ergo quando Christus Dominus desinit esse sub speciebus panis, eō quod corrumpuntur, & succedit alia materia & forma, dicitur Christus conuersus in illud totum de nouo productum, quod omnino falsum est. Non desuerunt apud Suarezium Disputat. 54. sect. 3. qui sequellam concederent, in quā non video magnum absurdum: sed dicit Suarez, non esse rectum, in re tam graui ab antiquis Theologis recedere. Respondet, antiquos Theologos (vt ipse fateatur) non negasse hanc conuersionem, licet illam non affirmarint, quia non disputarunt de illā. Quod si aliquando negatur Christus conuerti in nos, & ē contrario nos dicimur in Christum conuersi, quæ est phrasis sanctorum Patrum, non est ea intelligenda de conuersione physica, quia nos non conuertimur physice in Christum; sed de morali, id est, Christum non accipere à nobis prauos affectus & peccata, sed ē contrario nos, relictis imperfectionibus moralibus, quasi conuerti in virtutes & perfectiones Christi.

Viget Suarez: Quia sequeretur, Christum conuerti in murem, excrementa, &c. quod pias aures offendit. Miror P. Suarezium offendi his locutionibus, cum ipse, secutus communem & veram sententiam, dicat, Verbum diuinum hypostaticē potuisse vniri muri & excremento: quantō ergo magis scandalosum videtur, dicere Deum non solum conuerti, quod solum denotat successionem, sed verē posse esse murem & excrementum? Imō de facto in ipsius sententiā, & verā, Verbum esse vnitum hypostaticē quatuor humoribus: qui cum in ipsius Suarezij sententiā sint entia substantialiter diuersa ab homine, quia non informantur animā rationali, sed aliā formā absolutē diuersā, sunt capaces vt Deus possit dici sanguis, & cholera, & melancholia, & pituita, quæ omnia si dicamus coram mulieribus vel idiotis, putabunt nos esse blasphemos, etiam si in re vera sint, quia non omnes aures sunt capaces omnium mysteriorum Fidei. Vnde etiam si concederentur illæ propositiones ab ipso supra obiectæ in sensu Scholastico, id est, quod succedat loco substantiæ Christi substantia muris aut alterius rei sub illis accidentibus, non video quod absurdum inde sequeretur.

Hæc dixi, vt ostenderem, posse non improbabiler eam sequellam admitti de conuersione Christi in substantiam superuenientem corruptis accidentibus; probabilis tamen videtur, non conuerti, quod non probō, eō quod Christus maneat in rerum naturā, quia ex hac parte sufficeret, destrui aliquam actionem substantialem circa Christum, vt dixi in secundā solutione; sed quia videtur non manere propriē terminus communis, in ordine ad quem datur expulsio Christi, & introductio nouæ substantiæ, quia quantitatem distinctam non admitto, quæ maneat sub utroque termino; alia autem accidentia noua non fuerunt cum Christo, imō, quia introducuntur noua, Christus desinit esse ibi. Deinde, quia non desinit esse ibi Christus ex repugnantiā aliquā spe-

ciali cum accidentibus de nouo aduenientibus, quam non haberet cum præcedentibus: vtrisque enim eodem modo repugnat: ad conuersionem autem requiritur repugnantiā aliqua physica inter desitionem vnius, & conuersionem alterius. ex his ergo duobus capitibus constat, non conuerti Christum in substantiam superuenientem.

Secundō principaliter posset quis argumentari pro hac nostrā sententiā: Quia si ad rationem conuersionis sufficeret, sine vllā actione substantiali poni vnā substantiam loco alterius, ergo quando in ordine ad locum eundem aliquis expelleretur à bestia, dicendus esset cōuersus in bestiam, quod nō faciliē admittetur. Sequela autem ex contrariā doctrinā bona est, quia tunc substantia bestia succedit in ordine ad locum eundem hominis inde expulsi. Confirmatur: ideō dicitis, conuersionē Eucharistiæ esse substantialem, quia actio, licet non terminetur ad substantiam illam producendo, terminatur tamen illam collocando; sed idem contingit in casu posito, ergo etiam ibi erit conuersio substantialis.

Respondetis Primō, non corrumpi in casu posito substantiam hominis, ideoque non conuerti in bestiam. Sed contrā, iam ostendi supra, nullam esse rationem, cur requiratur magis desitio termini *à quo*, quā productio termini *ad quem*. Confirmatur ad hominem: ideō dicitis non requiri productionem termini *ad quem*, quia conuersio nil aliud est quā successio vnius in aliud; successio autem, inquis, non petit productionem termini *ad quem*. Addo & ego, nec petit desitionem termini *à quo*: quia sicut verē succedit Prorex Proregi, licet succedens non producat, ita etiam licet desinens non moriatur, sed solum cedat suæ dignitati; ergo si tuus discursus quidpiam probat, probat sanē, non requiri desitionem termini *à quo*, ideoque in casu posito verē hominem in bestiam conuerti.

Arbitror tamen adhuc, argumentum hoc non esse efficax; quia, vt dixi supra, ad rationem conuersionis requiritur terminus aliquis communis, qui fuerit in re conuersā, & maneat in succedente: nihil autem tale est, quando homo extruditur ē loco ab alio homine aut bestia. Omisso ergo hoc argumento,

Secundō rejicio eam sententiā; quia nisi detur productio substantialis termini *ad quem*, non potest conuersio esse substantialis; sola enim successio localis sub iisdem accidentibus non est conuersio substantialis: nam quod substantia iam sit sub his iam sub alijs accidentibus, non mutatur substantialiter in omnium sententiā; nec quia Deus meam albedinem trāserat in Petrum, ideō ego substantialiter conuertor in Petrum: ergo, cum in Eucharistiā iuxta definitionē Ecclesiæ detur conuersio substantialis, seu transsubstantiatio, debet necessariō dari productio substantialis Christi Domini; ergo productio termini *ad quem* est de ratione conuersionis.

Respondetis huic argumento, Christum succedere in munere substantiæ, causando accidentia. Sed contrā Primō, quia suppono probabilem sententiā, quantitatem non distingui à materiā primā, & sic arguo: Locum occupare impenetrabiliter, est proprium substantiæ materialis, & non accidentium, quæ non occupant locum

nili

nisi ratione substantiæ; ergo succedere in ordine ad occupandum locum, est succedere etiam in munere proprio substantiæ materialis; ergo ex hoc capite, quando quis succedit in locum realem alterius, licet non detur conuersio, eò quòd non maneat terminus communis, dabitur tamen mutatio substantialis, quia vna substantia succedit alteri in munere proprio substantiæ, non secus ac tu doces in Eucharistiâ. Contrà Secundò, & efficacius, quia falsum est, Christum succedere in munere proprio substantiæ, quod ostendi Disput. II. de Eucharistiâ à num. 15. Primò enim impossibilis est causalitas Christi Domini in accidentia, in quâ tu constituis munus substantiæ: nam prior est consecratio accidentium, quàm Christum esse sub speciebus: ideò enim Christus est ibi, quia accidentia durant, non è contrario; ergo accidentia illa non conseruantur à Christo, vt sic dicam, sacramentato, sed potius ideò Christus est sacramentatus, quia accidentia conseruantur. Secundò, quia licet demus, Christum conseruare efficienter accidentia, hoc tamen non est munus proprium substantiæ: vnum enim accedens potest conseruare aliud efficienter, & Deus conseruat efficienter accidentia, quorum non est substantia. Nec sufficit, si addas, Christum esse alligatum illis accidentibus in ordine ad motum: quia neque hoc est proprium substantiæ, imò est contrarium substantiæ, neque enim accidentia trahunt substantiam, sed è contrario substantia mouet secum accidentia; ergo per hoc non succedit Christus in munere substantiæ, sed in munere accidentis: ideoque dixi Disput. II. de Eucharistiâ, num. 14 eò quòd Christus dicatur contentus sub speciebus, & denotetur Pronomine *hoc*, non requiri villo

29 prorsus modo vt Christus exerceat munus substantiæ erga illa accidentia, quod ostendi exemplo auri in cistâ contenti; ergo non potest illa conuersio dici substantialis, ex successione in munere substantiæ, ergo præcisè iuxta tua principia ideò dicitur ea conseruatio substantialis, quia succedit vna substantia in locum, in quo erat altera: hoc autem reperitur in casu nostri argumenti, ergo debet dici, si vera sit tua doctrina, homo conuersus in bestiam, eò præcisè quòd hæc hominem expellendo succedat in eundem locum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Obiectiones solutæ.

DICES Primò contra Conclusionem: in Eucharistiâ datur vera conuersio; atqui iuxta Tridentinum non datur productio Christi Domini, ergo ad conuersionem non requiritur terminus *ad quem*. Sola Minor eget probatione, ea autem sit, quia Concilium Sess. 13. cap. 4. dicit, hanc conuersionem in Eucharistiâ fuisse ab Ecclesiâ collectam ex veritate verborum: sed verba possunt esse vera sine productione substantiali: eo enim ipso quòd Christus sit sub illis speciebus, licet non producat de nouo, erunt vera illa verba, *Hoc est corpus meum*; ergo conuersio ex veritate verborum deducta ab Ecclesiâ non petit productionem Christi. Hoc argumento valde innituntur aduersarij: sed porrigent ad-

uertere, se etiam eo premi, quia ad veritatem verborum non requiritur destructio panis, si enim alibi conseruaretur, dummodò non esset sub speciebus, tam propriè essent vera ea verba, *Hoc est corpus Christi*, quàm modò sunt: panem enim alibi existere, non facit vt contentum sub his speciebus non sit Christus, ergo ad conuersionem deductam ex veritate verborum, non requiritur destructio termini *à quo*, cuius oppositum, & meritò, ab his docetur.

Respondetis fortè, non ex solâ veritate verborum intulisse Tridentinum conuersionem, sed ex eo quòd non deberet admitti nouum miraculum in conseruatione panis sine accidentibus. Sed contrà Primò, quia tuum argumentum vt primum principium supponebat, ex solâ veritate verborum hanc conuersionem à Tridentino fuisse probatam; iam autem addis aliquid aliud principium, scilicet, non esse multiplicanda miracula sine necessitate, de quo principio nec cogitant ibi Tridentini; potero ergo etiam ego vltra veritatem verborum aliquod aliud principium addere, nec ideò opponat Tridentino magis quàm tu. Contrà Secundò, quia rogo, Vnde collegit Concilium in mysterio, vbi tot repertiuntur miracula, nò etiam intercedere hoc, vt panis alibi miraculosè conseruaretur? Contrà Tertiò, quia fortè est maius miraculum, destitui panis substantiam, quàm conseruari sine accidentibus: neque Patres disputarunt quod horum esset maius miraculum, vt inferrent inde, destitui accidentia panis. Quæras ergo solutionem pro Concilio, in ordine ad destructionem panis, ex alio capite, quàm ex veritate verborum, & ego etiam quæram in ordine ad productionem Christi.

Respondent aliqui huic argumento, verba non potuisse esse vera, nisi ibi reproduceretur Christus Dominus, & quidem vt virtualiter distinctus à seipso, prout existente in celo. Hæc solutio duo continet mihi non probabilia: primum est, sine reproductione substantiali non posse vnum corpus duobus in locis collocari. Moueor, quia existere me hic, est effectus formalis proueniens ab vocatione distinctâ, vel in sententiâ illorum ab instantiâ loco, &c. sicut esse album prouenit ab albedine vnità. Sicut ergo potest idem corpus diuinitus duas recipere albedines totales sine reproductione ipsius corporis, ita poterit & duas vbicationes, per quas in duobus locis constitutur.

Dicent: Ante vbicationem debet corpus supponi in eo loco. Sed contrà, quia hoc est perinde ac dicere, ante albedinem prius naturâ hominem debere esse album. Sæpè dixi, *prius naturâ* tantum esse illud, in quo intelligitur causa aliquius effectus; ergo in priori naturâ, in quo intelligitur corpus indifferens ad accipiendam albedinem, vel hanc vbicationem aut illam, non potest intelligi habens albedinem seu vbicationem, sed præcisè tunc intelligitur substantia corporis secundum se sumpta, & consequenter non potest iam intelligi vbicata in illo loco, quia hoc habet formaliter per ipsam vbicationem, sicut homo habet esse album per albedinem. Ad summum probatur hoc argumento, Deum, qui ponit corpus in duobus locis, debere prius naturâ præsupponi, vt continentem illam vbicationem, & vt existentem in illo loco, quia causa effectus de-

bet præcontinere effectum, quod non est necessarium in causâ receptivâ; ergo non erit necessarium ut corpus recepturum illam vocationem, & per illam ponendum in loco, prius quam illam recipiat, iam illam habeat. Imò hoc argumentum videtur esse contra ipsos eodem modo quo contra nos: quia licet non ponant vocationem distinctam, ponunt tamen propinquitatem aut indistantiam realiter separabilem, quicquid illa sit. Bene ergo rogo pro prioris naturæ, pro quo Deus fuit indifferens ad creandum Adamum in Paradiso potius quam in his partibus, vel ad ponendum Christum in Hostiâ Romæ potius quam Pragæ, Erantne Christus iam Romæ, & Adamus in Paradiso, an non? Certè non poterunt dicere, fuisse, quia nihil potest esse hic priusquam sit: si ergo, cum non esset in illo priori Romæ, potuit Romæ produci potius quam Pragæ, cur non potuit & poni sine reproductione, dando illi eam indistantiam à loco, quæ est distincta à reproductione corporis? eadem enim reproducio numero durat in illâ Hostiâ, quoties ibi manet Christus, & tamen præsentia localis mutatur quoties Hostia movetur.

Secundò valde displicet multiplicatio illa virtualis Christi Domini, id est quod sit virtualiter diversus à se ipso prout in celo, & in vnâ Hostiâ prout in aliâ, quod sæpe alibi impugnavi, eò quod hac virtualitas distincta, ratione cuius eadem indivisibili entitati possint contradictoria prædicata convenire, plane destruit distinctionem realem in creaturis, datque evidentem occasionem eam negandi.

Alier respondet Suarez, idè à Concilio ex verbis deductam conversionem, quia Concilium intellexit verba in sensu perfectiori, quam possunt habere: licet autem utrumque possent esse vera sine conversione, quia tamen multò perfectiùs explicantur posita conversione seu destructione termini à quo, id est panis, & productione Christi Domini, idè Concilium eam conversionem intulit. Sicut, quando in Canâ Galilææ Christus aquam in vinum convertit, licet potuisset illud miraculum fieri per solam accidentium mutationem, aut per adductionem vini aliunde, sine conversione aquæ in vinum; omnes tamen fatentur, intercessisse ibi veram conversionem, & ipse notavit Archiriclinus apud Evangelistam, aquam vinum factam.

Contra hanc solutionem sic insurgunt alij: Non est perfectior modus, ponere ibi Christum per productionem substantialem, quam per adductionem, ergo solutio nulla. Exemplum de aquâ in vinum conversâ, inquirunt, non urget: nam, si illuc adductum fuisset vinum, illud miraculum non fuisset Christi proprium, potuisset enim à demonibus fieri; ut autem esset proprium Christi, debet dici factum fuisse per veram conversionem: at in Eucharistiâ ponere Christum sub speciebus penetratum, licet sine reproductione substantiali, est proprium Dei, ergo nō licet inferre, propterea dari ibi productionem substantialem. Hæc tamen impugnatio parum nos premit: non enim omnia miracula Christi non poterant à dæmone fieri. Nam quòd ad verbū ipsius in horro, *ego sum*, omnes caderent retrorsum, fieri à dæmone etiam poterat, detruente invisibiliter satellites. Item quòd in mor-

te ipsius velum templi scissum fuerit, item & petra diuisa, quodque columba apparuerit in Iordane, & vox audita, *Hic est filius meus dilectus*, imò & transfiguratio ipsa poterat arte dæmonum fieri. Ergo ex hoc capite poterat & illud miraculum in Canâ Galilææ per solam adductionem vini contigisse, etiam si id dæmonis vires non excederet, sicut multa alia miracula non excedebant. Tenentur ergo hi aliunde explicare, unde omnes intulerint, fuisse ibi conversionem aquæ in vinum: nec video quid aliud dici possit, nisi quia ille erat perfectior modus, ut ex Suarezio supra diximus. Hoc autem ipsum dicimus in Eucharistiâ. Falsò autem negatur ab his, esse perfectiorem modum, reproducere ibi Christum, quam dare ipsi vocationem: nam in reproductione & includitur totum quod hi dicunt, & insuper additur productio substantialis, quam nullus potest negare includere perfectionem magnam. Contra Secundò, quia mutatio accidentium aquæ in accidentia vini, etiam sine productione substantiali, non potest à dæmone fieri: unde ergo inferitur, non fuisse hoc modo factum illud miraculum in Canâ? Vides ergo, non semper omnia, quæ Patres ex Scripturâ inferunt, esse in illâ ita contenta, ut aliter non potuerit absolute Scriptura intelligi.

Tenenda ergo est Suarezij solutio, scilicet Concilium ideo dicere, in Ecclesiâ creditam ex vi verborum, conversionem, quia hæc verba ita explicata sunt à Patribus: ad hoc autem ut Patres ita ea verba intellexerint, sufficit, per conversionem ea perfectiùs explicari, ut inquit Suarez. Deinde, quia, ut paulò antè dixi, non semper omnia, quæ Patres ex aliquibus verbis Scripturæ intulerunt, continentur in illis verbis adæquate, sed sæpe Deus ex illis verbis accipit quasi occasionem ut aliquid amplius ibi non clarè contentum, licet aliquo modo pertinens ad illa verba, manifestet & reuelet suis Doctoribus & Conciliis.

Dices Secundò contra nos, etiam si dicamus Corpus Christi reproduci in Eucharistiâ, adhuc non saluatur, eam conversionem esse substantialem: quia licet producat, non succedit magis in munere substantiæ, quam si præcisè localiter adduceretur. Hæc obiectio supponit, à me explicari substantialitatem huius conversionis per successionem in munere substantiæ, quod paulò antè negavi, & ostendi, ibi non reperiri talem successionem substantialem. Explico ergo id, eò quod illa actio sit productio termini substantialis, hi autem, qui negant talem productionem substantialem, non poterunt illam substantialitatem explicare, ut probatum est.

Dices Tertio: Quando alimentum convertitur in hominem, datur vera conversio formalis, id est, conversio formarum, & tamen tunc non producit anima rationalis, ergo ad conversionem vnus formæ in aliam non requiritur productio termini ad quem. Respondeo Primo, negando Antecedens: ibi enim non est conversio formarum, sed solum conversio totius in totum, id est alimenti in hominem. Respondeo Secundò, casu quo ea conversio dicatur formalis, idè dici, quia producit vnio, quæ est etiam forma. Imò hinc ego argumentor, quia non dicitur forma panis converti in animam rationalem, etiam si loco

loco ipsius succedat anima, eò quòd anima non producatur, dicitur tamen alimenti forma conuertere in formam bruti, quia hæc producitur. Conflet ergo, ad rationem conuersionis requiri productionem terminari ad quem.

SECTIO IV.

De generatione viuientium.

PRÆCIPUA species generationis est generatio viuientium, quæ ita communiter definitur cum S. Thomâ Part. 1. quæst. 27. art. 2. *Est origo viuientis à viuento, à principio coniuncto in similitudinem naturæ.* Illud origo est genus ad productionem omnem, quæ necessario est origo, seu productio. Tò viuientis à viuento, est differentia propria generationis viuientium. Tò à principio significat, viuens debere concurrere actiue ad differentiam generationum earum, quæ fiunt sine concursu actiue viuientis; vt cum ex Adami costâ producta fuit Eua, vel cum ex animalis sudore aut morbo generantur alia animalia, ad quæ non concurrat actiue.

Vbi aduerte, nonnullos voluisse, requiri ad rationem generationis cognitionem & volitionem, quâ viuens velit influere in aliud, & ex hoc solo defectu exclusisse productionem Eux à ratione generationis propriæ. Sed hæc doctrina falsa est, Primò, quia animantia non habent talem appetitionem, nec de prole tunc cogitant. Secundò, quia si femina dormiens concipiat, aut vir etiam dormiens semen emittat, vt contigit Lotho, vera ibi est generatio veri filij. Adde, in definitione nullum esse verbum hanc petens volitionem.

Tò coniuncto significat non quidem approximationem inter causam & effectum, sed debere in viuento generato manere aliquid quod fuerit in generante, quod in hominibus, animalibus, & plantis fit per materiam sementinam, in Deo autem fit per communicationem eiusdem numero naturæ, quæ in Deo generante reperitur. Per hanc particulam excluduntur à ratione generationis illæ quæ fiunt à daemonibus incubis, quæ fiunt per diffusionem seminis in vas feminæ: cum enim semen illud non fit pars demonis, homines, qui ex illo nascuntur, nec sunt à principio coniuncti cum daemonibus, nec eorum filij. Posse autem hoc modo à daemonibus generationes hominum & animantium fieri, non dubito: possunt enim semen ab homine decusum accipere, ac medijs agentibus calidis conseruare per breuissimum illud tempus, & ferè instantaneum, quo ipsi ad feminas etiam ex longinquo accedere possunt. Vtrum autem de facto Deus id eis permiserit, & ita contigerit aliquando, non est ita certum. Multæ similes historiae narrantur, sed non erutæ ex sacrâ paginâ. Probabile mihi est aliquando id factum, de quo egi in materiâ de Angelis.

In similitudinem naturæ. Hæc verba requirunt similitudinem inter patrem & filium, circa quæ dubitatur Primò, quid intelligatur in præfenti nomine naturæ. Richardus, quem aliqui recentiores sequuntur, nomine naturæ intelligit non quamcumque essentiam, sed illam quæ habet virtutem producendi aliud viuens, ideoque do-

cet, Spiritum sanctum non oriri similem in naturâ, & consequenter non esse Filium, quia licet habeat essentiam diuinam, non tamen naturam diuinam, eò quòd non habet virtutem producendi ad intra aliam personam: Verbum autem, quia habet virtutem producendi ipsi Spiritum sanctum, esse simile in naturâ Patri æterno, ideoque & eius Filium.

Pro hac sententiâ confirmandâ adduxi olim disputationis causâ quemdam locum ex Concilio Florentini Sess. ult. in literis vnionis ad Græcos, quem ad aliud propositum refert P. Valquez Disp. 147. cap. 3. postea verò multi & docti recentiores ita illum pro hac sententiâ libenter arripuerunt, vt putarint, eam esse de Fide; alij verò moti sunt ad hanc defendendam propter illum. Is autem est: *Nam credentes Spiritum sanctum à Filio nequaquam procedere, necesse est vt intelligant Spiritum sanctum à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium.* Ex his verbis sic argumentatus sum: Ex mente Concilij, hi, qui negant Spiritum sanctum à Filio procedere, coguntur negare, dari Filium in diuinis; ergo quia Filius in ratione talis constituitur per virtutem producendi Spiritum sanctum, quandoquidem eâ virtute ablata cessat formaliter filiatio, ergo natura, in cuius similitudinem Filius debet prodire, dicit virtutem producendi alium sibi similem, vt ait Richardus. De hac difficultate egi Disputatione 14. in 1. Part. à num. 33. ostendique, locum hunc Concilij non perluadere hanc sententiam: quia potest responderi Primò, illud ac consequenter non desum per modum illationis ex sententiâ Græcorum, sed per modum referentis consequenter doctrinam Catholicam certam, & apud Græcos & apud Latinos: quasi diceret ibi Concilium, etiam qui negant, Spiritum à Filio procedere, debent sentire, Filium non esse Spiritum, quia Trinitas personarum, dequâ inter omnes omnino constat, expresse demonstrat Filium non esse Spiritum sanctum, & è contrario. Vnde ibi ac consequenter non esse Filium intelligitur tamquam subiectum huius propositionis *Spiritus sanctus*, qui immediatè antea erat nominatus; nec oportuit illum iterum repetere in propositione. Secundò potest responderi, etiam si illatio à Concilio facta, non ideo esse de Fide: neque enim argumenta, vel absurda illata à Concilio, ad probandam aut reiiciendam aliquam sententiam, sunt de Fide, vt communiter omnes docent.

Ratione mouentur hi Auctores, quia filius naturalis semper habet virtutem producendi alium, ergo signum est, hanc vocem naturæ, in cuius similitudinem filius debet oriri, vsurpatam esse pro naturâ potente aliam producere. Quòd si vrgeas, aliqua animantia esse sterilia, v. g. mulino; Respondent, eam impotentiam non esse essentialem: vnde aliqui Historici referunt, in aliquibus locis mulos generare. Secundò addunt, etiam si mulus careret radicali virtute, cum tamen adhuc futurum filium equi, quia generans intendit illi communicare virtutem producendi, etiam si impediatur ab hac communicatione. Hæc tamen secunda solutio improbabilis planè est: quia si ea virtus producendi alium verè requiritur in filio, eo ipso quòd ea careat, in re non erit filius; intentio autem eam communicandi faciet, vt fuerit filius in intentione.

tionem, id est, ut generans intenderit facere filium, non tamen facit ut illum in re producat; perinde ac si intendens generare aliud animal, non generasset, nisi totum aliquid insensibile, proculdubio illud totum, non obstante bonâ intentione generantis, in re non fuisset filius, quia in re non fuisset vivens. idem ergo erit, si deficiat radicalis potentia alium generandi.

45 Pro impugnatione huius sententiae adverte, ab Aristotele & Philosophis definitam olim fuisse, naturam esse principium motus & quietis eius, in quo primò & per se, & non ex accidente inest, & in hoc sensu naturam solum comprehendere partes substantiales totius: vnde iuxta hanc definitionem nec Deus nec Angelus dicuntur habere naturam; imò compositum, ut tale, etiam in hoc sensu, non est natura, quia compositum non inest primò & per se, inhærentia enim est in ordine ad aliud. Postea verò hæc definitio, ut posset aequaliter convenire omnibus substantiis, latius explicata est à Philosophis & Theologis pro primo constitutio rei, quod sit radix operationum vel perfectionum, quæ in tali re reperiuntur, quo sensu idem est natura, ac essentia, ex acceptione Philosophorum, & Theologorum ferè omnium; ideoq; essentia humana, seu natura humana, idem est, & in Deo & in Angelis pro eodem vsurpantur. Iam hinc constat, vocem *natura* in definitione generationis positam, non desumi pro virtute producendi aut generandi aliquid ad intra, sed parè pro essentia: quo acceptio Richardi & aliorum penitus rejicitur, de quo fuisse egi eo loco Partis I. Sufficiat hæc retigisse.

46 Secundò potest dubitari, quanta debeat esse similitudo inter patrè & filium: nam si requiratur specifica, nec Verbum erit filius Patris, quia absolute est diversum in specie ab illo, in naturâ autem potius habet identitatem quàm similitudinem. Deinde nec mulus erit filius asinæ & equi, quia non est eiusdem speciei cum illis. Si autem solum requiratur similitudo generica, nulla res est quæ non sit alteri genericè similis in naturâ: nam omnes conveniunt saltem in ratione entis. Propter hæc dicendum est, similitudinem requisitam inter patrè & filium neque esse tantam ut sit specifica; neque tam exiguam ut præcisè sit in ratione aliquâ generalissimâ entis, aut substantiæ; debet ergo esse in aliquo genere ultimo, quæle est inter mulum & equum. In divinis etiam est similitudo in genere ultimo relationum, præterquam quod potest dici, in naturâ habere perfectissimam similitudinem, quo nomine etiam vocari solet identitas.

47 Tertiò potest dubitari, an generationes anomalæ, seu non servantes naturæ leges, sint uniuocæ generationes. Non quæro an sint generationes, acceptâ generatione ut sic, prout convenit etiam rebus inanimatis, v. g. ignis productioni; in hoc enim sensu certum omnino est, eas esse verè & propriè & uniuocè generationes: accipio ergo hic generationem prout propriam viventium, seu prout dicit à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Respondeo Primò, si generatio fiat ab extrinseco, qualis fuit productio Adami & omnium aliorum animantium à Deo, non esse propriè generationes, de quibus in præfati, quia non sunt à principio coniuncto. Ad has etiam reducitur resurrectio mortuorum. Idem est

de generatione Euvæ ex Adamo: licet enim ab ipso fuerit accepta costa, & ex hac parte videatur esse à principio coniuncto, quia tamen illa costa non concurrat actiue, sed tantum passiue, tamquam massa respectu figuli, non fuit à principio coniuncto, nec propriè generatio, de quâ in præfati.

Dices ergo: Si semen humanum non concurrat actiue, sed solum sit materia quam mater disponat, vir non magis erit pater quàm Adamus respectu Euvæ. Respondeo concessâ sequela, tota enim diversitas consistit in eâ actiuitate: vnde eâ negatâ, erit sine dubio æqualitas, nec in eo consequenti vllum est absurdum. Respondeo Secundò, si generatio fiat ex solo femineo semine, ut Christi Domini generatio in B. Virginis utero, illa erit uniuocè generatio comparata cum matre, quæ æqualiter, quantum est ex se, concurrat, & tam ab intrinseco, siue Deus diuinitus viri concursus suppleat, & generatio idè sit anomala, siue vir per seipsum.

De generationibus factis à dæmonibus, in hoc sensu dixi supra non esse generationes, quia non sunt ab intrinseco, nec à principio coniuncto: dubium tamen est, utrùm illi sint eorum hominum filij à quibus decusum illud semen, acceptum est à diabolo. Respondeo, omnino esse: nam per hoc quod fuerit à dæmone acceptum, non impeditur, ne illud sit pars hominis, & concurrat actiue; separatio autem localis, quando emissum est, est planè accidentalis, quia semper etiam datur talis separatio quando generatur filius.

SECTIO V.

Dubia aliqua de Generatione substantiali.

PRIMUM est, an actio productiva substantiæ sit distincta à productione accidentium, aut quid illa sit. Videntur enim aliqui affirmare, substantiam resultare ex ipsis accidentibus productis. Ita tribuitur Caetano Parte I. quæst. 54. art. 3. §. *Ad id tamen*, & alijs apud Conimbricenses lib. 3. de Quantitate, quæst. 12. cap. 4. art. 1. Hæc tamen sententia euidenter est falsa, Primò, nam forma substantialis producit posterius naturâ quàm ipsa accidentia, ergo non per eandem actionem. Patet consequentia, quia, ut sæpè dixi, actio non potest esse nec intelligi in aliquo priori naturæ, nisi actu producens, & consequenter nisi actu intelligatur eius terminus. Antecedens autem est certum, idè enim forma substantialis producit, quia materia disposita exigit eam formam: ergo prius sunt dispositiones in materiâ exigentes formam, quàm ipsa sit. Secundò idem ostenditur ab aliquibus, quia sæpè accidentia mutantur manente formâ: aqua enim forma manet, etiam si frigus pereat; ergo conservatio frigoris non est conservatio formæ aquæ; quod idem est de primâ productione, quæ est idem cum conservatione. Hoc tamen argumentum ego non reputo efficax: nam in primâ productione ferè semper forma producit ab agente creato, conservatur tamen ab alio diuerso, scilicet à solo Deo: vnde ferè semper mutatur actio in secundo instanti; ergo ex hac parte posset benè dici, in primo instanti produci formam per productionem

ctionem accidentium, in secundo verò per aliam distinctam actionem. Ideò melius Secundo ea sententia rejicitur, quia in secundo instanti datur conservatio substantialis formæ, distincta à conservatione accidentium, ergo eadem etiam debet dari in primo: omnia enim quæ per te afferri possunt, ad probandum, non possent esse actionem substantialem, æquè probant de primo quàm de secundo instanti; ergo sicut eis non obstantibus in vno concedis, ita & in altero.

Tertio ratione à priori id impugno, explicando sensum sententiæ adversariæ. Vel enim volunt adversarij, vñ eadem actione produci accidentia & substantiam, & rursus dicunt, eam actionem posse oriri ab aliâ substantiâ continente perfectionem substantiæ productæ, & in hoc sensu fateor diuinitus possibilem esse vnam talem actionem indiuisibilem, productiuam substantiæ & accidentium. Addo tamen, illam æquè primò & in eodem signo naturæ debere esse vtriusque termini productiuam: quia, vt sæpè docui, & paulò antè retigi, in quocumque priori est actio. Debet etiam esse & terminus illius: vnde, cum de facto sit prior productio accidentis quàm substantiæ, non potest fieri per eandem actionem. Deinde, cum accidentia oriantur à solis similibus accidentibus, quæ non habent virtutem ad producendam substantiam, non potest productio accidentis esse eadem cum productione substantiæ, nec potest de facto reperiiri ea actio, quam in aliquo casu possibilem esse paulò antè admisi. Si verò sensus illius sententiæ sit, accidentia, quæ producunt alia accidentia, simul etiam producere substantiam operando nomine substantiæ, satis in Physicis talis operatio reiecta est. Tandem si sensus sit, nullam esse veram actionem productiuam substantiæ, sed hanc resultare, implicat in terminis. Nam quid aliud est *resultare*, quàm *produci*: est enim substantia ens creatum, non ens à se; ergo cum existit, debet illud habere ab alio, seu per productionem: hanc autem ab ipsâ substantiâ distingui, probandum est ratione vniuersali, quâ in Physicis ostendi actionem distingui, nec ea hîc repetere opus est.

Obserua quæ dixi, ad probandum generationem substantiæ non esse productionem accidentium, multò magis probare, ipsâ accidentia non esse actionem productiuam substantiæ, quia substantia manet accidentibus mutatis, & succedentibus loco illorum alijs omnino contrarijs, quæ non possunt esse actio productiuâ illius formæ, vt in aquâ patet: mutato enim frigore in calorem, qui est aquæ contrarius, adhuc conservatur forma aquæ. Secundo, id repugnat propter prioritatem accidentium respectu formæ, de quâ suprâ. Vltimò, quia calor ignis, & mea manus, sunt eiusdem speciei: meus autem non est actio ignis, ergo nec alter erit; repugnat enim, duas res eiusdem speciei vnam esse actionem productiuâ substantiæ, aliam verò non.

Contra hæc obieciens Aristotelem, aientem, generationem esse terminum extrinsecum alterationis. Respondeo, hoc non probare aliquid de identitate actionum, sed præcisè, alterationem ordinari ad generationem vt ad terminum, generatio enim sequitur alterationem.

Secundo obieciens, ex dictis fieri à nobis vel substantiam esse immediatè operatiuam substantiæ,

vel eam actionem oriri ab accidentibus non existentibus; vtrumque autè omnino repugnare. Respondeo, hoc argumentum eò vergere, vt probet, eam substantiam non produci, quod implicat in terminis ex dictis paulò antè. Probatur autem sequela: nam nulla est illius causa, vt contendit argumentum. Cui respondeo, iuxta dicta à me in Physicis, substantiam, quando adest causa secunda proportionata substantialis, ab eâ produci; quando verò non adest, produci à solo Deo. Quod si ea actio oriretur ab accidentibus, non sequeretur ea operari quando non sunt, nam quando disponunt accidentia, existunt; ergo possent tunc ex hoc capite operari.

Secunda difficultas est, vtrum generatio compositi sit mutatio instantanea. Non loquor de generatione prout dicit idem quod augmentatio (de hac enim infra) sed prout terminatur ad formam & vnionem substantialem. Respondeo, illam esse instantaneam. Probatur manifestè: quia terminus illius est indiuisibilis, ergo actio debet esse instantanea. Patet consequentia, quia nihil indiuisibile potest primò produci successiuè. Antecedens autem est certum: nam forma non est capax intensiōis. Præterea, licet sit capax extensionis, hoc pertinet ad augmentationem & ad distinctam partem materiæ, de quâ hîc non loquimur.

Hîc aduerte, eos qui continuum ex infinitis partibus & punctis componunt, valde hac difficultate vexari: cum enim ipsi dicant, motum ad dispositiones, quæ sunt capaces intensiōis & remissionis, habentq; contrarium esse successiuum, nec desinere per vltimum sui esse, non possunt hîc explicare, quomodo in eo instanti, quo materia est vltimò disposita, possit produci forma: sequitur enim, in instanti vltimo terminari motum ad dispositiones; nam forma introducit in instanti, & in eo quo terminantur dispositiones, ergo hæc terminantur in instanti. Respondent alij, qui ex illis, formam produci quando dispositio perficitur per vltimum punctum terminatiuum, non verò quando vltimò perficitur per vltimam partem qualitatis. Sed hæc solutio possit sustineri ab his qui puncta terminatiua distincta ab vnionibus concedunt in continuo; ab his autem, qui solum admittunt puncta quæ sunt vniones (quales sunt qui hac solutione vtuntur) reddi non potest: nam punctum illud seu vnio producit, quando producit pars qualitatis vnibilis; in eodem enim instanti reali, in quo est pars, etiam vnitur. ergo si pars non producit in instanti, neque vnio; vel si vnio qualitatis producit quando forma substantialis, etiam tunc producit pars qualitatis, & consequenter desinit motus in instanti. Secundo impugnatur ea solutio, quia vnio, qualiscumque illa sit, pertinet ad motum, & per illam terminatur motus; ergo si illa sit in instanti, motus desinit in instanti intrinseco, quod est contra te.

Viderunt fortè, hanc solutionem posse facile impugnari, ideò Secundo dixere, formam substantialem produci in instanti extrinseco, quo desinit motus, & in quo verum est, *nunc non est motus, immediatè tamen antè fuit*. Sed hæc solutio, licet magis consequens ad eam doctrinam, facilius tamen impugnatur, quia in primis omnes videntur supponere, formam non produci in instanti

stanti sequenti post completas dispositiones, sed idem omnino esse, compleri dispositiones, & formam produci: sequitur enim, antè fuisse dispositam materiam adequatè ad formam ignis, & tamen ibi non fuisse formam ignis, sed formam ligni cum dispositionibus planè sibi contrariis, & sine dispositionibus ad ipsam requisitis, quæ duo naturaliter planè repugnant. Secundo eos impugno, quia forma substantialis contraria definit tota simul, ergo in instanti: atqui hoc instans est immediatum ante generationem formæ ignis, ergo vno ex illis debuit necessariò compleri dispositio vltima ad formam ignis; ergo motus ille ad dispositiones definit in instanti intrinseco, & consequenter etiam in illo instanti nec poterit incipere forma. Vides, in quas angustias reducuntur per has sententias de definitione intrinsecâ & extrinsecâ, quæ in nostrâ opinione sunt clarissima: sed de hoc alibi fusiùs.

SECTIO VI.

Quâ ratione concurrant viuentia ad generationem.

57 Non disputo de actiuitate substantiæ aut accidentis in generationem substantialem, de quo ex professo in Physicis, sed præcisè à quo ex parentibus, & quâ ratione filius producat, de quâ questione aliqui proluxè satis: breuiter me ab eâ expedit, quia videtur etiam materiam minùs honestas aures decemtem tangere.

PRIMA CONCLUSIO. Pater non concurrat immediatè ad generationem filij. Probatur, quia pater, dum generatur filius, est distans, imò aliquando mortuus; ergo non potest immediatè concurrere ad eam generationem; causa enim requirit existentiam & propinquitatem ad cauandum.

58 SECUNDA CONCLUSIO. Femina concurrat actiue immediatè ad generationem filij producti in eius visceribus. Probatur ex dictis in Physicis, vbi ostendi, vnâ substantiam posse attingere immediatè productionem alius substantiæ, dummodò sufficienter applicata & approximata sit: atqui mater est sufficienter approximata materiæ in quâ producit forma filij, ergo producit formam filij si materialis sit, vel saltem vnionem illius, si forma sit spiritalis, vt patet in homine. neque est vlla ratio, cur matri negetur eiusmodi actiuitas, præcipuè cum non sit alia causa naturalis æquè proportionata & applicata, ac ipsa mater; ergo.

Dices Primò: Mater non est approximata toti materiæ in quam introducitur forma filij, sed ad summum secundum superficiem exteriorem; ergo non potest concurrere. Hoc argumentum non magis impugnatur matris concursum, quàm aliarum substantiarum, quæ etiam non sunt applicatæ nisi secundum superficiem, eò quòd non possunt penetrari cum passio. Respondeo ergo, à me suprâ dictum, sufficere approximationem passio cum causâ secundum vnâ superficiem, vt possit operari in partibus distantibus, quo corrumpit prædicta obiectio.

59 Dices Secundò: Aliquando filius est perfectior matre, ergo non potuit produci ab illâ. Probatur Antecedens, quia nullus est perfectior as-

nâ. Respondeo, admittendo Antecedens, de quo non est nobis disputandum, & negando consequentiam de causâ vtrumque, concedendo tamen illam de causâ principali, hæc enim debet esse vt minimùm æqualis in perfectione effectui: quare si mater non sit æqualis filio, non erit causa principalis, erit tamen instrumentalis & partialis, ad quam non requiritur æqualitas cum effectu.

Dices Tertiò: Vnio hominis est spiritalis, ergo non potuit à matre produci. Respondeo, Antecedens esse falsum, & malam consequentiam. Antecedens falsum, quia Disput. iv. Physicorum probaui, etiam in homine vnionem esse materialem. Mala consequentia, quia si vno sit spiritalis, mater etiam componitur ex animâ spiritali, per quam poterit producere vnionem spiritali.

Dices Quartò: Vnio potest produci ab ipsâ animâ cuius est, cum sit eiusdem naturæ & speciei cum animâ matris, & magis sibi sit approximata quàm mater; ob quam rationem dixi, proprias passiones produci non à generante, sed ab essentia cuius sunt. Respondeo, animam non posse aliquid substantiale in corpus operari, nisi vt actum illius; quia anima non est actus aslittens corpori, sed informans: vnde non potest producere aliquid substantiale in illo, nisi intelligatur vnita. cum autem ante vnionem non supponatur vnita, non poterit efficere vnionem, sed hæc efficitur ab animâ matris, quæ iam est vnita corpori. Dixi, aliquid substantiale: nunc enim non disputo, vtrum possit producere motum localem, de quo in libris de Animâ; quoad actionem autem substantialem vnionis & dispositionis ad sui vnionem, non dubito ab eâ nihil posse fieri, nisi sit vnita; aliâs naturaliter posset fieri resurrectio mortuorum, si animæ separata & sibi materiam præparent, & sui vnionem in illa producerent, quod, abstrahendo à statu damnationis vel gloriæ, fieri posset, iuxta solutionem quam impugno. Quòd si potest materialiter recipere vnionem, 61 inde id prouenit quòd non potest anima matris, aut alia causa esse subiectum vnionis, nisi sola ipsa anima quæ vnitur: vnde ad causalitatem materialem vnionis impossibile est eam præcedere vnitam, vel causalitatem materialem suppleri formaliter ab aliâ causâ extrinsecâ; ergo debet exerceri ab ipsâ animâ quæ vnitur.

Dices Quintò: Si mater esset causa filij, esset prior illo saltem naturâ, ergo B. Virgo esset prior naturâ Christo Domino, quod falsum est, etenim Christus Dominus præiussit existens, & bene operans, meruit existentiam Virginis, & illi obtinuit gratiâ vt mereretur esse mater Christi, ergo B. Virgo non est mater Christi, quod est hæreticum, vel mater non est causa filij. Hæc difficultas pertinet ad Theologos, breuiter tamen eam facio communem omni sententiæ: licet enim negetur, matrem concurrere actiue ad vnionem animæ & corporis, negari tamen nequit, matrem disponere saltem materiam in quâ introducenda est forma filij; ergo saltem respectu dispositionum mater erit causa, & consequenter etiam erit prior naturâ quàm filius, quia dispositiones & illarum causæ sunt priores effectu, ergo hæc difficultas est communis omni sententiæ.

Secundò respondeo, Christum Dominum 62

X x 2 pro-

productum fuisse per duas actiones, vnam ortam à solo Deo, & priorem alterà, eumque per hanc actionem existentem independentem à Virgine benè operatum fuisse, & obtinuisse B. Virgini existentiam, immunitatem ab originali culpa, & gratiam quâ mereretur esse causa Christi per aliam secundam actionem, & consequenter illas mater; neque in hac mutuâ causalitate quoad secundum esse ulla est repugnantia, iuxta dicta in Physicis.

TERTIA CONCLVSIO. Pater concurrat actiue ad disponenda organa, & materiam in quam introducit forma filij; concurrat, inquam, medio semine ab ipso deciso. Hæc Conclusio duas continet partes. Prima, à patre decidi semen ad generationem, de qua non est dubitandum. Videatur Hurtadus Disputat. 2. de Generat. sect. 6. per totam, latè probans, sine viri semine non posse fieri generationem filij, alioquin non fuisset miraculosa conceptio Christi Domini in utero Virginis sine viri semine. Secunda pars Conclusionis est, illud semen concurrere actiue ad disponendam materiam. Probatur, quia semen illud est sanguineum & spirituosum, ergo habet
63 virtutem ad organizandam materiam. Patet consequentia, quia spiritus vitales, ex quibus coalescit, sunt ignei, & consequenter maxime actiui: nec est, ad quid aliud possit ordinari semen illud, spiritus enim vitales in ipso contenti sunt subtilissimi, & consequenter non possunt ordinari ut ex ipso efformetur fœtus, ergo ut disponat materiam.

Dices: Mater sola habet sufficientem virtutem ad producendum filium, ergo non requirit consortium seminis virilis. Antecedens probatur, quia vnus ignis habet virtutem ad producendum alium ignem se solo; ergo & mater ad producendum filium. Patet consequentia, quia non minus est mater eiusdem speciei cum filio, quàm vnus ignis cum altero. Respondeo, ad generationem substantialem solum ipsam matrem concurrere, iuxta paulò antè dicta, ad dispositiones autem etiam concurrere semen viri: sicut licet solus ignis concurret ad generationem substantialem alterius, iuuatur tamen ad disponendam materiam ab accidentibus.

64 Replicabis: Cur ergo non iuuabitur mater à propriis accidentibus proprii seminis, sicut ignis iuuatur à propriis accidentibus ad disponendum passum? Respondeo ex sæpè à me dictis, non esse bonam consequentiam, hoc est eiusdem speciei cum illo, ergo poterit adquatè id producere, neque item valere, ignis potest producere alium ignem, ergo adamas alium adamantem, aut femina aliam: potest enim ex naturâ suâ indigere aliis concantibus, & hoc de facto ita esse in matre, experientia suadet. Constat enim, sine semine viri non posse fieri generationem, quod fortè ad debilitatem eius seminis reduci potest. Aduerte, semen non posse vllò modo immediate concurrere in ipsam generationem substantialem, quia in instanti generationis non est semen, in materiam enim illius introducit forma fœtus.

Sed hinc insurgunt duæ difficultates. Prima est, quia videtur semen agere in seipsum: dum enim propriam materiam disponit ad formam filij, molitur sui destructionem, quod videtur impossibile. Hurtadus suprà secutus Medicos, qui-

bus hac in re fides est habenda, respondet, in semine dari duas partes, aliam magis actiuam, aliam passiuam magis; illam agere in hanc, hanc verò solum pati: vnde non sequitur, idem agere in seipsum; sed vnam partem seminis in aliam. Secundo respondeo, non esse nouum, ut per accidens aliqua pars agat in seipsam: nam & calor natius hominis per accidens interimit ipsum hominem, ut dicam inferius; & forma ignis suam materiam ad formam fumi vel cineres præparat: quod tunc clarius constat, quando illud agens coniungitur cum alio diuerso, quod intendit formam aliam producere, sicut semen iungitur cum animâ matris ad disponendum passum.

Secunda difficultas est, quia suprà dixi, semen, eò quod sit subtilissimum, videri omnino inutile ut ex eo formetur fœtus; iam autem hic dico, in ipsum introduci formam fœtus. Respondeo iuxta paulò antè dicta, in semine esse duas partes, vnamque esse magis densam & minus calidam, & hanc esse vilem ut in ipsam introducat formam, nec de hac ego suprà locutus sum, quando negavi, semen esse aptum pro materiâ, sed de spiritibus vitalibus in eo contentis. Secundo dico, illos etiam spiritus paulò post, dum agendo repatiuntur, reddi materiam aptam pro formâ fœtus.

QVARTA CONCLVSIO. A femina deriuatur semen, quod simul cum semine viri concurrat ad generationem. Hanc tenent omnes Medici contra Aristotelem, D. Thomam, & eius discipulos. Verum hac in re est maior Medicis fides adhibenda, præsertim cum omnes Anatomici doceant, in mulieribus dari eadem vasa & organa quæ in viris ad producendum semen. Imò Hippocrates, relatus ab Hurtado, dicit, amicum esse eum, qui negat ex commixtione seminis virilis & feminei factum procreari. Vide hac de re ipsum Hurtadum suprà, ego cetera consulo omitto.

Definitur semen à Philosophis & Medicis, *portio optima & validissima totius humoris residentis in corpore, corpus humidum spumatum & album, ex reliquiis alimentis vltimi elaboratum.* Dicitur *excrementum*, quatenus non animatur animo, non tamen quia inutile sit & redundans, imò maxime necessarium est ad sustentandum corpus, & conseruandas vires: vnde, vel qui illud sæpè emittunt assiduâ libidine, vel qui illud non producant, ut omnes spadones, carent viribus. Efformatur in lumbis, ideoque in Scripturâ, ut 67 significetur principium generationis, semper vlurpantur lumbi, quia sunt principium seminis, medio quo fit generatio. Et hinc dicunt nonnulli oriri, ut qui diu equitant, sæpè lumborum dolore fiant inepti generationi. In cuius confirmationem refertur suprà ab Hurtado, Petras nobiles, qui sine stapedibus & frequentissimè equitabant, renum dolore laborasse, & generationi ineptos fuisse.

Fusillimè hic de partibus quæ primò formantur in generatione humanâ tractari solet, item de numero dierum quibus disponitur materia ad animam rationalem; sed quia in istis omnibus ferè nihil nisi diuinando dici potest, nec ratione naturali aut experientia certè aliquid euinci potest, ideo eis omnibus supersedebam. Si quis voluerit ea legere, consulat Patres Conimbricenses, Hurta-

dum & Medicos ab eis relatos, qui prolixè hanc rem tractant.

SECTIO VII.

De Corruptione.

68 De aliis generationibus substantialibus non viuentium, nihil à nobis disputatum est in particulari, quia vix de illis aliquid aliud occurrat dicendum, præter ea quæ de generatione in communi dicuntur: iam ergo de corruptione generationi oppositâ necessariò agendum est.

Corruptio definitur solet *desitio alicuius rei in aliam*. Illud *desitio* est genus ad corruptionem & annihilationem. Tò in *aliam* est differentia, quia res quæ annihilatur, purè definit in nihilum, eò quòd nihil ipsius manet, nec subiectum, nec eius loco res alia producat.

Rogabis, vtrum sole res dependentes à subiecto, an etiam independentes corrumpantur. Quæstio est de voce, in quâ dicendum est, etiam res independentes à subiecto posse aliquando corrumpi. Probat ex communi Patrum & Theologorum modo loquendi, assensum, materiam panis in Eucharistia non annihilari, sed corrumpi, eò quòd licet materia sit independens à subiecto (est enim primum subiectum) in eius tamen locum sufficit Christus, ideoque non definit in purum nihil, & consequenter non annihilatur, sed corrumpitur; ergo corruptio significat etiam desitionem rei independentis à subiecto.

69 Rogabis Secundò, vtrum etiam necessariò omnis desitio formæ generatæ sit corruptio, an verò possit esse aliquando annihilatio. Etiam hæc est quæstio de voce, in quâ nonnulli docent, formam generatam non posse annihilari, quia definit in subiectum, & non in purum nihil; ideoque, inquit, desitio lucis, licet eius loco nil producat, non dicitur annihilatio, sed corruptio, quia manet illius subiectum, id est ær. Ego cum distinctione arbitror respondendum: velenim sola forma destruitur, subiecto manente; & tunc fateor veram esse doctrinam positam, ob rationem ibi desumptam ex corruptione lucis: vel simul cum formâ perit subiectum, & tunc dico, verè dari annihilationem non solum subiecti, sed etiam formæ, quia tunc etiam forma definit in nihilum, non enim manet eius subiectum; ergo potest in aliquo casu desitio rei generatæ esse annihilatio.

Dices: Si anima rationalis destrueretur, etiam desineret in subiectum, maneret enim subiectum illius, & tamen tunc annihilaretur, non verò cor-

rumperetur; malè ergo dicitur lux ideo corrumpi, quia manet eius subiectum. Respondeo, licet 70 in re sit idem quoad destructionem; quia tamen lux educebatur ex subiecto, animus verò rationalis non, ideo destructio huius non dicitur desinere in subiectum, nec ipsa forma corrumpi, solum verò destructio lucis, quod ad puram quæstionem de nomine reuocandum est.

Rogabis Tertio, vtrum corruptio sit naturalis. Naturale potest sumi vel pro eo, quod est intra naturæ vires; & in hoc sensu non dubium, corruptionem esse naturalem: causæ enim naturales habent vires ad corrumpendo, multos effectus. Potest etiam sumi pro conuenienti; in quo sensu dico rei destructæ numquam esse naturalem corruptionem, id est, conuenientem, imò potius esse summum illius malum; respectu verò causarum contrariarum semper esse conuenientem, & ab illis intentam; denique respectu subiecti tunc solum esse conuenientem destructionem, quando forma illi erat disconueniens, vt error respectu intellectus, dolor respectu animalis; vel quando loco formæ destructæ introducit aliqua perfectior, in aliis autem casibus non esse conuenientem subiecto, v. g. destructionem lucis, æri destructionem actuum visionis potentia visiva, &c.

Rogabis Quarto, vtrum corruptio per se intendatur ab agente naturali. Respondeo, inter formas substantiales numquam intendi corruptionem vnus, nisi per accidens, quatenus introducit alia impossibilis. Et ratio est, quia materia non potest omni formâ substantiali cedere; ergo non potest vnâ spoliari, nisi alia introducat. Si verò loquamur de accidentalibus, potest rectè vnus destructio intendi per se independentem à productione alterius formæ, quia potest forma esse disconueniens subiecto, vt error respectu intellectus, dolor respectu animalis: vel licet non sit disconueniens actus, potest tamen agens velle ab eo omnino cessare, & alium eius loco producere, vt quando vult homo cessare ab omni actu visionis, voluntatis, &c. quo casu non intenditur destructio propter productionem alterius, sed quia potest in carentia illarum formarum reperiri bonitas, ratione cuius ametur, sicut etiam à Deo amantur carentia plurimarum rerum, propter eandem rationem.

De ordine generationis & corruptionis, item de eius causis diximus Disputatione VIII. Physices, Sect. 3. Vtrum autem possit esse aliqua res quæ naturaliter non possit destrui à Deo, & consequenter quæ sit incorruptibilis omnino, dicam in libris de Anima, agens de eius immortalitate.

